



Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. IX. De Adventu Plurium Fratrum Domus Teutonicae & aedificatione
Castri Nessoviae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

Hermannus de Saltza IV. Magister Ord. Teut.

delicias, & solitudinem ejus hortum Domini: gaudium & lætitia invenientur in ea, gratiarum actio, & vox laudis.

ANIMADVERSIO.

(a) Chronicon antiquum Germanico idiomate scriptum his rythmis ex Jeroschino desumptis comprehendit causam nominis hujus:

Er nante sic Vogelsang
 Daruff sie namen des Orloys Anfang/
 Mit wenig Wapenern frank
 Und sungen da viel Noten mang/
 Nicht der Nachtigalen Klang
 Sondern manchen Jammersang/
 Als der Schwann singet
 So ihn sein Sterben twinget.

Hennebergerus in Chron. sive in Commentario ad Tabulam Geograph. prussiae, in voce Diebau / putat Vogelsang & Nessoviam castra, fuisse sibi è regione opposita, discriminante ea Vistulâ flumine: Sed, ut ex hoc, & proximo capite palam fit, utrumqve castrum ripæ amnis illius occidentali assidebat. Hodiè Vogelsang pagus est cis Vistulam, in Culmensi provincia; Abest à Thorunio duobus circiter milliaribus. De quo Hennebergerus.

CAP. IX.

De

*Adventu Plurium Fratrum Domus
 Teutonicae & adificatione Castri (a)
 Nessoviae.*

Ædificato hoc castro Fr. Conradus prædictus, misit nuncios ad Reverendum virum & Religiosum Fratrem Hermannum de Saltza Magistrum generalem domus Teutonicæ, nuncians

H z

cians

70f. 1. 6.

cians omnia, qvæ gesta fuerunt circa negotium sibi commis-
sum, petensqve humiliter & supplicans, ut plures fratres & ar-
migeros mitteret ei, qvi acqviescens precibus ipsius, misit ei fra-
trem Hermannum dictum Balke in Magistrum, dicens ad eum
sicut Dominus ad Jesue: Confortare & esto robustus, tu enim
introduces filios Israel i. e. fratres tuos, in terram, qvam pollici-
tus est eis Dominus & Deus erit tecum. Item Fratrem Theodo-
ricum de Bernheim in Marschalcum, fratrem Conradum (b) de
Tutele qvondam Katerarium (c) Beatæ Elisabeth, fratrem Hen-
ricum de Berge Thuringum, & fratrem Henricum de (d) Cutze
de Villa Witekendorff, cum armigeris, & eqvis pluribus, in
coadjutores dedit ei; qvi cum venissent ad Castrum Vogel-
sanck, ædificaverunt Castrum Nessoiam in descensu Wissela.
In quo Castro dum Fratres habitarent, Prutheni intraverunt Po-
loniam hostiliter, & dum viderent fratres in armis, seqentes
eos admirati ultra modum undè essent, & ad quid venissent,
qvibus responsum fuit à qvodum Polono, qvi captus ab eis du-
cebatur, qvod essent viri religiosi & strenui milites in armis de
Almannia per Dominum Papam missi ad bellandum contra
eos, qvousqve duram eorum cervicem & indomitam Sacrosan-
ctæ Romanæ Ecclesiæ subjugarent. Qvo audito subridentes
recesserunt.

ANIMADVERSIONES.

AD CAP. IX.

(a) Germanis Nessaiv/Polonis Nieschovva, castrum ad Vistulam non
procula castro Vogelsang conditum. Hodiè, ut vult Henne-
bergerus, dicitur Dibovam. Si accuratius rem determinare volue-
rimus, dicendum est, Diboviam hodie dici Podgurze. Nessoiam
vero esse Diboviae conterminam, (uno namqve millari à Dibovia
abest) appellariqve Niesowka i. e. Nessoia minor, ad differenti-
am Nessoiae majoris, qvæ tribus à Thorinio millaribus abest.

(b) In-

- (b) Intelæ habet Jeroschinus. Alii legunt Juæle.
 (c) S. Elisabetha Andreæ Hungariæ Regis filia, nata An. 1207. & non multò post adhuc in cunis Ludovico Landgr. Thuringiæ & Hassiæ (Hermannii Landgravii filio, & Conradi Landgr. Thuringiæ & Hassi. Magistri Ordinis Teutonici fratri) desponsata, cui etiam postea nupsit. Obiit An. 1231. Relata in numerum Sanctorum An. 1235. à Gregorio IX. Pontifice Perusii in Conventu Fratrum Prædicatorum. Scripsit Conradus de Marpurg S. Elisabethæ vitam, quam edidit Leo Alkatius lib. I. capitulo 26 pag. 269. Fuisus Elisabethæ historiam prosecutus est Dietericus Sacerdos Fr. Ord. Prædicatorum natione Thuringus, cujus initium fecit An. 1289. Habetur hæc Historia octo libris comprehensa adhuc MS. in Bibliotheca Electorali Regiomontana, quamvis eandem & Canisius Tom. V. Antiqu. Lect. ediderit. Scripsit etiam de S. Elisabetha Jacobus Montanus Spirensis apud Laur. Surium Tom. VI. ad 4. Decembr. Conf. & Historia Euphordiensis Anonymi cuiusdam à Pistorio edita & Cap. 47.

(d) Von Zib/von Wittendorff derselbe hieß. habet Jeroschinus.

C A P. X.

De

*Fratre Hermanno Primo Magistro
terra Pruschiæ Ordinis Domus Teu-
tonicæ.*

F Rater Hermannus dictus (a) Balke Hospitalis S. Mariæ Domus Teutonicorum Hierosolymitani Magister I. in terra Pruschiæ præfecit Annos XII. Hic etiam fuit primus Magister terræ Livoniæ, ubi cum præfuisse ferme VI. annis & utramque terrain ad bonum statum deduxisset, & benè prosperatum fuisse bellum in manu sua, ut inferius apparebit, gravatus senio & labore, reversus fuit (b) in Almanniam, ibique mortuus & sepul-

H 3

tus.